



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Quæstio VI. De Causis, ob quas omitti, vel differri possit Restitutio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

Q U Æ S T I O VI.

De Causis, ob quas omitti, vel differri possit Restitutio.

Causæ, ob quas restitutio licite differri potest, sunt, Primo, damnum ipsius debitoris. Secundo, damnum creditoris, vel tertiæ personæ. Tertio, impotentia, præsertim si cum cessione bonorum adjungatur. Addunt quarto nonnulli apud Lessi. cap. 16. dub. 9. excommunicationem creditoris; communius tamen id negant; si enim potest excommunicato dari elemosyna, immo debet illi dari, ex obligatione charitatis in gravi necessitate, a fortiori debet illi dari, quod ex obligatione justitiæ ei debetur, excusante ab hoc parvo commercio necessitate, vel utilitate creditoris; Quamvis si sit excommunicatus vitandus, & in judicio exigat debitum, possit repelli, ex cap. *Pia de Exceptionibus in 6.*

Causæ vero, ob quas restitutio licite omittitur, Primo sunt Remissio creditoris. Secundo, Compensatio. Tertio, Compositio. Quarto præscriptio. Quinto, Aliquando rei alienæ interitus. Sexto, Judicis, vel juris auctoritas. Septimo, Aliquando etiam ingressus in religionem; Ac demum juxta dicta art. 1. superioris quæst. Solutio facta creditori Creditoris. Hæc autem omnia sequentibus articulis examinabimus.

ARTICULUS I.

De Causis, ob quas differri potest Restitutio.

- I. Differri potest restitutio, si debitor restituendo patiatur damnum duplo majus, quam patiatur creditor ex tali dilatione; vel si pati deberet jacturam fama, aut alterius damni notabilis.
- II. Potest etiam differri, si deberet aliter vendere centum aureis rem valentem biscentum; aut si deberet vendere instrumenta sua artis, aut si deberet vir nobilis artem manuales exercere.
- III. Sicut etiam si deberet cadere de proprio statu juste acquisito, quamvis debita ex delictis contracta sint. At si per usuras status sublimior acquisitus sit, etiam heredes cum mutatione status tenentur restituere; Sicut etiam si res in individuo restituenda sit.
- IV. Nequit restitutio differri, ne quis magno lucro privetur.
- V. Differenda est restitutio, si ex ea grave damnum alteri sequatur.
- VI. Quenam impotentia dilationem restitutionis permittat?
- VII. Num licite differens restitutionem teneatur ad interesse?
- VIII. In gravi necessitate licitum est restitutionem differre, non tamen furari. In extrema necessitate dives tenetur ex charitate offerre pauperi res necessarias; & ex justitia tenetur non impedire, ne illas sibi accipiat.
- IX. Cessio bonorum, seclusa impotentia, non excusat a statim restituendo. Quid ea ferat pro foro externo? Nequit Clericus cedere bonis cum ignominia sui status.
- X. Qui cedit bonis, quantum possit occultare ad honeste vivendum?
- XI.

XI. Artifex, qui bonis cessit, tenetur exercere, sicut prius, artem suam, ut possit suis creditoribus satisfacere quantum potest. Quid si religionem ingrediatur?

I. **O**ueritur primo, Num possit restitutio differri, ne magnum damnum debitor patiatur?

Respondeo, quod si debitor restituendo pateretur damnum longe majus, quam patiatur creditor ex dilatione restitutionis, licite differri potest restitutio; (vocat autem Rebel. damnum longe majus, quod esset duplo majus.) Ratio est, tum quia creditor est in tali casu irrationabiliter invitus, quod ei restitutio differatur, cum iustitia non debeat adversari charitati; tum etiam, quia restitutio facienda est, ut ponatur æqualitas; in hoc autem casu non videretur poni æqualitas, sed inæqualitas per restitutionem, & ideo supra diximus, quod quando in restitutione plures expensæ faciendæ sunt, quam res ipsa valeat, potest restitutio differri: Si tamen damnum, quod sequeretur debitori ex restitutione, non esset longe majus, quam illud, quod ex dilatione pateretur creditor, restitutio non potest differri; quia in pari damno potior est conditio innocentis: Verbi gratia, si ex falsa testificatione a te facta imminet alteri periculum suspendii, debet falsa testificatio retractari, etiam cum pari periculo, quod tu sis suspendendus, dummodo ex retractione speretur utilitas.

Infertur hinc primo, quod si potest licite differri restitutio, quando imminet grave damnum temporale longe majus, quam patiatur creditor ex dilatione restitutionis, a fortiori differri potest, quando imminet debitori, aut alteri grave damnum spirituale; verbi gratia, si ex restitutione debitor conjiciat se in laqueum ex impatien-

Pars III.

tia, aut filii latrocinii se immisceant, aut uxor sui copiam aliis faciat, &c., Quia tamen hujusmodi damnum spirituale non est necessarium, sed voluntarium, ideo notat Pal. tract. 32. disp. 1. punct. 17., quod in eo solum casu possit restitutio differri, in quo ex charitate teneretur creditor tali dilationi consentire; nam alias si creditor ex dilatione grave damnum temporale eveniret, ex quo non teneretur consentire dilationi restitutionis, deberet statim fieri restitutio.

Infertur secundo, non teneri debitorem restituere bona inferioris ordinis cum jactura notabili boni ordinis superioris. Ordo bonorum temporalium is est, ut in infimo loco ponantur res pretio æstimabiles, ut pecunia, vestis, &c.; in medio ponatur honor, & fama; in supremo vita, libertas, virginitas, sanitas, membra, &c. Quare non teneretur restituere pecuniam, qui non potest illam restituere, nec per se, nec per alium, sine notabili jactura famæ, aut valetudinis; & consequenter scemina, quæ ex adulterio peperit, non teneretur cum periculo vitæ, vel famæ manifestare adulterium ad impediendum damnum filiorum legitimorum: Si tamen jactura boni superioris non sit notabilis, non excusat; unde infamatus propter aliqua furta tenetur ad restitutionem novi furti cum periculo novæ infamiæ; quia non videtur pati notabilem infamiam, qui jacturam suæ famæ fecit propter aliqua furta.

II. Infertur tertio, debitorem, ut restituat, non teneri aut seipsum vendere, aut vendere domum, vel agrum multo vilius, quam valet; Verbi gratia domum valentem ducentis aureis non teneretur vendere, si nonnisi centum aureis potest vendere: Idque verum est, etiamsi obligatio restituendi oriatur ex delicto, ut docet Less. dub. 1., Valent., Bonac., & alii contra

Sot.,

Sot., & Vasq.; Nec tenetur debitor vendere instrumenta suae artis, quae vitam sustentant; Nec vir nobilis tenetur artem manulem exercere, aut privare se obsequio omnium famulorum; aut equorum, ut restituat; Quamvis debeat attenuare, & diminuere victum, vestitum, & alias expensas, ut paulatim restituat servata decentia sui status.

III. Infertur quarto, posse licite differri restitutionem, quando debitor id non potest praestare, nisi cadat a proprio statu, iuste tamen acquisito; (alioquin si iniuste per rapinas, usuras, &c., statum suum acquisivisset, non diceretur cadere a proprio statu per restitutionem, sed potius transire ad proprium antiquum statum, restituendo;) Idque verum est, etiamsi debita contraxerit ex delicto, puta ex ludis, scortis, conversationibus, &c., ut communiter docent contra Less., Medin., Navar. apud Bonac.; debet tamen diminuere victum, vestitum, & alias expensas, ac dotem filiarum, ne creditor tantum detrimentum patiatur.

Infertur ultimo, filium usurarii teneri ad restitutionem, etiamsi facere illam non possit sine mutatione status acquisiti per usuras, dummodo absit infamia: Et universim res aliena in specie existens restitui debet, etiam quando damnum debitoris est longe majus damno creditoris, ut notant Less., Bonac., & alii communiter, quia res semper clamat ad dominum.

IV. Opponitur contra praedicta: Nemo potest accipere alienum ad vitandum proprium damnum notabiliter majus; ergo neque potest retinere res alienas ad vitandum damnum suum notabiliter majus damno creditoris.

Confirmatur, quia nemo potest differre restitutionem, ne privetur notabili lucro; ergo neque potest differre restitutionem debitam, ne subeat damnum notabile.

Respondeo cum Less. cap. 6. dub. 1. nego consequentiam. Disparitas est, quia magis est rem alienam auferre, spoliando dominum possessione sua, quam rem alienam retinere; Sicuti magis est vulnus inferre, quam vulnere non mederi.

Ad confirmationem, nego etiam consequentiam propter eandem rationem, quia magis est pati damnum, quam non habere lucrum, nec aequitas postulat, ut creditor rebus suis careat ob lucrum debitoris, ut communiter docent Doctores; Qui tamen id limitant, nisi debitor tale lucrum quarat ad satisfaciendum aliis creditoribus, quibus alioqui non esset solvendo; In eo enim casu creditor non censetur rationabiliter invitus.

V. Queritur secundo, Quandonam differri possit restitutio ob damnum imminens ipsi creditori, aut tertiae personae?

Respondeo, posse differri restitutionem, quoties censetur futura graviter perniciosa ipsi creditori, aut cuivis alteri. Ratio est, quia in tali casu dominus non censetur invitus, cum ex charitate, & aequitate teneatur pati dilationem ad vitandum grave damnum proximi, ut fuse ostendimus quaest. 4. art. 5.; Ubi etiam diximus cum Molin., Valent., Less. contra Sanch., & alios peccare graviter contra charitatem, qui restituit domino rem, qua ille peccaturus est contra alias virtutes a justitia, puta ad fornicandum, &c.; peccare vero probabiliter contra justitiam, qui restituit domino rem, quae vel ipsi, vel alteri est nocitura, verbi gratia gladium, quo mors infligenda est, si tamen commode potest restitutionem differre.

VI. Queritur tertio, Quam impotentia permittat dilationem restitutionis?

Respondeo cum Tambur. hic, illam impotentiam excusare a restitu-

tio-

tionem, qua debitor Primo non habet, unde solvat, cum ad impossibile nemo teneatur. Secundo, qua si solvat, fit graviter indigens, seu qua, ut modo diximus, notabiliter cadit e suo statu; quamvis enim in gravi necessitate nemo possit furari, potest tamen restitutionem debitor differre, ne in gravem necessitatem incurrat, ut notat Bonac. hic. Tertio, & quidem a fortiori, qua si solvat, fit extreme indigens. Quarto, qua si solvat, cogitur subire damnum notabiliter majus, quam sit damnum, quod creditor ex tali dilatione pateretur; unde docet Bonac. num. 22., & Less. cap. 16. num. 22., posse differre restitutionem, quando ad restituendum statim oporteret vendere centum rem valentem biscentum: Ubi notandum ex Less. loc. cit., quod si tales sint circumstantia, ut nisi nunc fiat restitutio, non possit amplius deinde fieri, in tali casu si res injuste ablata est, restitui debet statim, etiamsi magni sumptus essent faciendi. Si vero res praesertim parvi momenti sine duplo, vel triplo sumptu restitui domino amplius non potest, probabile est ex Less. cap. 15. dub. 8. dari posse pretium aequivalens; praesumi enim potest id domino non displicere, quia justitia charitati non adversatur, ut diximus quaest. 4. art. 2.

VII. Dubium est primo, an qui ob causas praedictas differt restitutionem, obligetur ad interesse, quod creditor patitur ex tali dilatione, videlicet ad lucrum cessans, & ad damnum emergens?

Respondeo juxta dicta, cum de possessore malae fidei, teneri ad interesse, si differat solutionem debiti ex delicto; quia talis mora fuit culpabilis in causa, videlicet in injusta acceptatione. Ita Molin., Laym. contra Navar. sect. 10., Pal. Si vero differatur solutio debiti ex contractu, non tenetur ad interesse, ex Less., Vasq. Bonac.

quaest. 4. punct. 1. quia cum mora neque in se, neque in sua causa sit culpabilis, damnum illud imputari non potest debitori, atque adeo non debet compensari. Si tamen debitor differat solutionem ad vitandum suum magnum incommodum, videtur obligandus ad restitutionem damni, quod creditor patitur ex dilatione restitutionis, ex Molin., & aliis apud eundem Bonac.; quia par non est, ut debitor fervet seipsum indemnem cum damno creditoris, quando debitor revera est solvendo, quamvis cum magno, aut notabili incommodo.

VIII. Dubium est secundo, An sicuti impotentia, & inopia debitoris excusat a restitutione, ita excuset etiam a peccato furti; unde liceat urgente necessitate accipere res alienas?

Respondeo, in communi, & gravi necessitate non esse licitum furari: Quicquid in contrarium senserint nonnulli apud Dian. par. 5. tract. 8. resol. 23., unde merito damnatur ab Innoc. XI. propos. 36. dicens, *Permissum esse furari non solum in extrema, sed etiam in gravi*: Econtra licitum est in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia; Immo ex Less. cap. 12. num. 71., & aliis apud Hurtad., licitum etiam id est in valde gravi necessitate, quae comparetur extremae; cum quilibet malit mori, verbi gratia, quam esse in proximo periculo stupri, servitutis, vitae miserrimae, &c. Ratio est, quia jure naturae talis necessitas facit res communes, sicuti erant ante divisionem, & appropriationem jure gentium, & civili introductam; Etenim jus positivum non potest praedjudicare juri, quod a natura quisque habet tuendi vitam suam: Sicut autem potest sic indigens furari per seipsum, ita potest per alium, qui sit suum instrumentum, quando hic non potest de suo illum sublevare.

Notandum tamen, quod extreme

Q 2 in

indigens non potest ab extreme indigente furari, quia melior est conditio possidentis.

Dubium est tertio, Utrum extreme indigenti debeat quilibet subvenire ex iustitia, an solum ex charitate, & misericordia?

Respondeo cum Tambur., Pal., Lug., duas inesse diviti obligationes, prima est offerendi extreme indigenti res necessarias. Secunda, non impediendi, ne illas accipiat; sic enim satisfacit praecepto sublevandi proximum; Mandavit enim Deus unicuique de proximo suo: Obligatio tamen offerendi res necessarias est ex sola charitate, & misericordia, ad quam spectat sublevare miseras; obligatio vero non impediendi, ne illas accipiat, est ex iustitia; quia sicut quilibet habet jus accipiendi ad espota, id est quae sub nullius dominio sunt, ita extreme indigens habet jus accipiendi, quodcumque est sibi necessarium; cum tunc omnia sint communia: Unde fit, ut si dives impediat talem acceptionem, teneatur ad damna secuta; secus vero si solum non offerat. Utrum autem qui in extrema necessitate res alienas consumpsit, teneatur deinde refloriente fortuna restituere? diximus jam cum de possessore mala fidei.

IX. Quæritur quarto, An cessio bonorum sit causa, ut differatur solum, an vero ut omittatur restitutio?

Respondeo, cessionem bonorum nullatenus in foro interno eximere ab obligatione statim restituendi, si non sit conjuncta cum impotentia debitoris. In foro autem externo post cessionem bonorum debitor non potest in carcerem detrudi, donec non acquisierit bona superflua ad sui, suorumque sustentationem, ex lege *Qui bonis*, ff. *De cessione bonorum*. Quare debita per cessionem bonorum nullatenus extinguuntur, sed solum in foro exter-

no consopiantur, (sicuti consopiantur in foro interno, quando debitor est vere impotens satisfacere,) etiam cessio bonorum fiat cum quibusdam ignominiosis actibus juxta loci consuetudinem; verbi gratia, sedendo in loco publico cum corda capiti imposita, ut communiter docent apud Less. cap. 16. dub. 5. contra nonnullos. Ratio est, quia talis poena non potest extinguere obligationem naturalem restituendi; nec in foro externo imponitur, ut debitor a restitutione liberetur, sed ut plectatur culpa, quae praesumitur ab eo admissa.

Notandum hic primo, Clericum inopem nec teneri bonis cedere, nec posse in carcerem detrudi ob debita, ut docet Abbas, Immola, & alii apud Less. ex cap. *Odoard. 3.*, *De solutionibus*; quia Clericus non potest conveniri, nisi quatenus solvere potest, deductis necessariis alimentis, ne in opprobrium status Ecclesiastici cogatur mendicare; ut colligitur ex dicto Cap. *Odoardus*, & communiter Doctores docent. Nec potest Clericus huic privilegio cedere. Nomine autem Clericus sacrorum Ordinum, & qui proprio ministerio Ecclesiae inservit, sed omnes Clerici, ex Rebuff., aut saltem ex Less. omnes Clerici, qui ex Trident. sess. 25. cap. 6. gaudent privilegio fori, ut sunt, Primo, initiati Sacris ordinibus. Secundo, habentes beneficium Ecclesiasticum. Tertio, Clerici, qui deferentes habitum, & tonsuram alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviunt. Quarto, Clerici, qui in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines versantur, & habitum cum tonsura gestant; Exceptis tamen conjugatis, qui si cum virgine contraxerint, & alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inserviant, & habitum, ac

ton-

consuram deferant, gaudent eodem privilegio Canonis, & fori, non tamen ceteris Clericorum privilegiis.

X. Notandum secundo, eum, qui cogitur cedere bonis suis, posse occultare quantum satis est, ne pro sua conditione indecore vivat, seu quantum satis est ad tenuem sui, & suorum sustentationem juxta statum suum, etiam si debita propter delicta notoria contraxerit, cum non teneatur ad restitutionem cum tanto suo incommodo, ut communiter docent contra Medin., & Adrian. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 78. Quod tamen semper intelligendum est, nisi creditores ex defectu restitutionis cogantur in similem miserum statum descendere; nam in tali casu melior esse debet conditio creditoris innocentis, quam debitoris rei, & hic potius, quam ille debet e statu suo cadere. Hinc Sot., Azor., Coelestin., & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 87. docent, quod uxores, & filii, quorum maritus, vel parentes ad magnam penuriam sunt reducti, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, si post eorum mortem inveniantur impotentes solvere debita a marito, vel patre contracta, possint ex bonis relictis occultare, quantum satis est ad vitam, suumque statum honeste conservandum; & si in judicio requirantur, possint cum æquivocatione congrua jurare se nihil occultasse, hoc est, nihil aliis debitum; & propter eandem rationem non incurrant excommunicationem forte latam contra occultantes sua bona.

Notandum tertio ex Less. cap. 16. dub. 3., & Navar., quod qui cedit bonis, habens debita ex delicto notorio, non possit tantum retinere, quantum si ex contractu debeat, & casu aliquo in grande infortunium incidere. Ratio est clara, tum quia æquum est, ut magis patiat, qui sua culpa non est solvendo, quam qui citra cul-

pam; tum etiam quia, qui alienis opibus novum statum acquisivit non dicitur cadere a proprio statu, si aliena restituens in statu humiliori sit.

XI. Rogabis: Num artifex, verbi gratia, qui cessit bonis, teneatur deinde exercere, sicut antea, artem suam, ut possit præter victum sibi necessarium acquirere, unde ex parte saltem creditoribus satisfaciat, an vero possit licite otari?

Respondeo cum communi apud Tambur. tract. 4. cap. 1. §. 9., quod teneatur operari, sicut antea, ut restituat quantum potest, tam debita ex delicto, quam ex contractu; cum enim per cessionem bonorum non sit extincta, sed consopita obligatio restitutionis, sequitur quod teneatur debitor facere quantum potest sine suo gravi incommodo, ut tali obligationi satisfaciat. Et ratio a priori est, quia qui tenetur ad ponendum finem, tenetur etiam ponere media saltem ordinaria ad ponendum talem finem; Verbi gratia, qui tenetur recitare horas, tenetur etiam comparare breviarium, & paterfamilias, qui tenetur alere suos, tenetur pariter ex virtute pietatis ad conquirendum victum consuetis hominum laboribus, ut possit suam familiam alere; ergo pariter qui tenetur restituere, tenetur adhibere media ordinaria ad satisfaciendum, atque adeo tenetur exercere, ut antea, artem suam; quamvis non teneatur extraordinarios labores, aut cuncta gravi incommodo subire; Et ideo diximus, ex justitia obligari hujusmodi debitores ad non repudiandam hereditatem, aut donationem, qua possint suis creditoribus satisfacere.

Dices: Qui ære alieno gravatus, non habens unde reddat, religiosam vitam suscipit, non tenetur in religione laborare, aut hereditatem non repudiare, ut suis creditoribus satisfaciat; ergo neque in casu nostro; Antecedens quam-

quamvis negetur a Lug. disp. 21. sect. 6., & Sanch. lib. 6. cap. 12. num. 26., videtur tamen admitti a Pal. tom. 3. tract. 16. disp. 3.. Et sane quod possit aere alieno gravatus religionem ingredi, praescindendo a prohibitione Sixti V., docent D. Th., & alii apud Sanch. cap. 19. contra Molin. tom. 3. disp. 758., quia obligatio restituendi non est tanti, ut possit privare hominem bono superioris ordinis, quale est Deo vitam addicere in religione, ut dicemus in calce articuli sexti.

Respondeo, antecedens communis negari, & solum a Pal. disputationis gratia oppositam sententiam sustineri loc. cit. Verum admissio antecedente, negatur consequentia; Et disparitas est manifesta, quia religiosus quicquid acquirit, monasterio acquirit; Unde nihil prodesse potest creditoribus, quod debitor in religione aliquid suo labore acquirit, & consequenter non tenetur laborare, ut satisficiat.

ARTICULUS II.

De Debiti remissione, quae excusat a restitutione.

- I. Condonatio creditoris tunc excusat debitorem a restituendo, quando ea est plene libera, & a jure non irritatur.
- II. Remissio facta debitori fingenti se pauperem est invalida, utpote facta per dolum circa causam finalem.
- III. Si condonetur pars debiti ob metum injustum, ne scilicet totum creditum amittatur ob culpam debitoris, talis condonatio est invalida; secus vero si fiat ob metum justum, ne scilicet totum creditum amittatur ob debitoris inopiam.
- IV. Est etiam invalida, si metus a tertia persona incutiatur ad remissionem extorquendam.

V. Debitor, qui sine fraude se composuit cum creditoribus, non tenetur deinde partem debiti sibi remissam restituere, si deveniat ad pinguinem fortunam; secus si sese in Ecclesiam recipiat, ut pars debiti sibi remittatur.

VI. Excusatur a restitutione debitor, cui constat de voluntate sive formali, sive praesumpta creditoris debitum remittentis; secus vero si de ea dubiet.

I. **O**ueritur primo, Quanam condonatio creditoris excuset a restitutione debitorem?

Respondeo, excusare solum illam, quae fit omnino libere, & a jure non impeditur; talis enim condonatio aequivalet restitutioni, tollitque injuriam auferendam per restitutionem; eo quod scienti, & volenti, quod non fiat restitutio, nulla fit injuria. Quia tamen condonatio est quaedam donatio, & donatio, ut sit valida, debet esse omnino libera, itaut si per metum fiat, sit invalida, ideo condonatio, quae est involuntaria simpliciter, aut mixta cum involuntario, non deobligat a restitutione; ut si fiat per ignorantiam, per metum gravem, aut levem, quamvis reverentialem, per dolum, & fraudem debitoris; Et universim quae donationem invalidant, pariter invalidant debiti condonationem.

Præterea condonatio, ut excuset a restitutione, debet a jure non impediri; nam, verbi gratia, furiosus, & pupillus sicut non possunt donare, ita nec debitum remittere, jure impediente talem donationem. Pariter si Episcopus aliquid in visitatione accipiat præter sumptus necessarios, & remissionem obtineat, invalida est remissio; Immo tenetur duplum restituere infra mensem sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incur-

currentia, ex cap. *Exigit*, de censibus, & exactionibus. Similiter Canonicus, qui divinis officiis non interfuit, non potest retinere distributiones respondentes tempori absentiae, etiamsi illarum remissionem obtineat a reliquis Canonicis; nam talis remissio impeditur, & irritatur a jure; ut constat ex Tridentino sess. 24. cap. 12.

II. Infertur ex dictis primo, condonationem factam debitori fingenti se pauperem esse invalidam, si creditor illam faciat praetextu paupertatis; cum talis donatio facta per dolum circa causam non impulsivam, sed finalem, seu motivam, sit nulla, utpote involuntaria, ut notant Lessl. cap. 17. num. 33., Bonac. de Contractibus quaest. 1. punct. 2. §. 2., & alii communiter.

III. Infertur secundo, quod quando creditor remittit partem debiti, timens, quod aliter totum creditum sit amissurus ob culpam debitoris, remissio etiam sit invalida: cum fiat per metum injustum, unde est involuntaria; secus vero si creditor remittat partem debiti timens, ne aliter totum creditum sit amissurus sine culpa debitoris, verbi gratia, ob ejus inopiam; ut notat Rebel. lib. 2. cap. 16. Sanch. & alii; in tali enim casu videtur voluntarie remittere sine fraude, & violentia.

IV. Dubium est, An sit valida remissio partis debiti, quando fit ex metu, ne totum creditum amittatur, & metus non incutitur a debitore, sed a tertia persona?

Sylvest. V. *Restitutio*, & alii docent esse validam. Bonac. tamen hic verius negat, quoties metus incutitur ad extorquendam remissionem; cum non videatur talis remissio omnino libera.

V. Infertur tertio, excusari a restitutione illum, qui a creditore petit, & obtinet remissionem, quamvis non offerat solutionem, nec sit paratus sol-

vere; per hoc enim non tollitur, quominus libere, & valide creditor remittat.

Infertur ultimo, debitorem, qui se composuit cum creditoribus contentis minore summa, non teneri restituere totum debitum, si veniat ad pinguiorum fortunam; quia talis compositio habet vim remissionis, & donationis, dummodo abfuerit fraus, dolus, aut metus; Et ideo quando debitor potens omnibus satisfacere sese recipit in Ecclesiam, vel in locum distantem, ut debiti remissionem in totum, aut in partem obtineat, talis remissio est invalida, ut docent Sa, Navar., Sylvest., & alii apud Bonac.; Quicquid alii sentiant in contrarium.

VI. Quæritur secundo, An excusetur a restitutione debitor, cui constat de voluntate formali, vel praesumpta creditoris debitum remittentis?

Respondeo cum communi affirmative, quoties id constat absque ullo dubio; cum in tali casu nihil retineatur invito domino: Unde fit excusari aliquando filiumfamilias, si non restituat ob praesumptam Patris voluntatem; quam licet conicere ex amore Patris erga filium, ex modica quantitate rei ablata respectu bonorum Patris, &c. Et Sa V. *Restitutio* num. 31. addit, non teneri ad restitutionem illum, qui aliquid accepit a domino, quod si petiisset, ei libenter datum fuisset; non enim invito domino retinet: Si tamen dubitatur de voluntate creditoris aut formali, aut praesumpta, restitutio facienda est, cum in dubio judicandum sit in favorem possidentis.

ARTICULUS III.

De occulta compensatione excusante debitorem a restituendo.

- I. Ut a restitutione reddat immunem, *Compensatio occulta fieri debet cum suis requisitis.*
- II. Debet quippe esse moraliter certum debitum compensandum, & non dubium, aut probabile.
- III. Debitum istud debet esse ex iustitia, non ex alia virtute, puta ex promissione, aut voto, vel ex gratitudine.
- IV. Res, qua fiat compensatio, debet esse ipsius debitoris, non deposita, aut alteri hypothecata.
- V. Requiritur etiam, ut debitum non possit aliter recuperari sine gravi incommodo. Num sit mortale, cessante scandalo, hanc conditionem omittere?
- VI. Debet vitari grave damnum alterius, qui forte infamaretur, ac ipsius debitoris, qui forte iterum restituet.
- VII. Num possit cum equivocatione juratus negare, quod aliquid accepit, qui accepit aliquid in compensationem?
- VIII. In quibus casibus possunt famuli sibi compensare ab heris suis, quod sibi iudicio prudentium propter famularum debetur?
- IX. Si Sacerdos nequeat recuperare decem carolenos debitos a Titio, & hic det illi toridem carolenos pro decem missis celebrandis, poteritne ob compensationem omittere missarum celebrationem?
- X. Num filius laborans pro Patre possit pro tali labore aliquid sibi occulte compensare?
- XI. Num possit fieri compensatio in delictis, non restituendo, verbi gratia, famam illi, qui te infamavit?

Et num possit infamia compensari pecunia?

XII. Possitne aliquando ob debitum probabile fieri compensatio? Praesertim si probabilitas versetur circa jus, non circa factum?

I. **O**ueritur primo, Quandonam Compensatio occulta excuset a restitutione?

Respondeo, occultam compensationem factam cum debitis requisitis excusare debitorem a restitutione, cum per illam tollatur inaequalitas. Quare si creditor compenset sibi creditum suum, accipiendo, quod sibi debetur, liberatur tam debitor ab onere novae restitutionis, quam ipse creditor ab onere restituendi id, quod compensationis causa alteri subtraxit; cum hic non sit rationabiliter invitus: Si tamen sine debitis conditionibus fiat compensatio, peccatur ex D. Th. quaest. 66. art. 5.; quia fit injuria publicae potestati, quae ad hoc constituta est, ut singulis tribuat jus suum.

II. Requisita autem ad licitam compensationem sunt, Primo ex Less. cap. 12. num. 58., ut debitum compensandum sit liquidum, & moraliter certum; nam si sit dubium, non est licita compensatio, cum melior in dubiis sit conditio possidentis; unde dici solet, *Liquidum ad non liquidum non est compensatio.*

III. Secundo, ut tale debitum sit ex iustitia, non ex promissione, ex voto, ex charitate, ex gratitudine, &c. Ratio est, quia sola lex iustitiae obligat ad restitutionem. Proinde communiter Doctores rejiciunt Petrum Navar. existimantem, quod in solo debito ex gratitudine possit fieri compensatio.

IV. Tertio, ut non accipias rem aliquam apud debitorem depositam, aut alteri hypothecatam, sed vel rem tuam, quae sit penes debitorem, vel

rem

rem ipsius debitoris, quia compensatio fieri debet ex bonis debitoris sine præiudicio alterius.

V. Quarto, ut non possis aliter creditum tuum recuperare, vel certe non sine notabili molestia, & expensis, aut non sine amissione benevolentiae, & favoris. Putant tamen Dian. part. 7. tract. 6. resol. 17., Moya part. 2. tract. 6. resol. 1., Trull., & alii non esse mortale, cessante scandalo, hanc conditionem omittere; quia non fit injuria Judici, nec turbatur Respublica, quando id fit occulte.

VI. Quinto, ut absit periculum scandalum, vel infamiae, ne tanquam infameris tu, aut alter, teneris enim ex charitate vitare damnum tertii innocentis, quoties notabiliter excedit damnum illius id, quod tu patereris, si compensationem ommitteres: Et propter eandem rationem peccas etiam contra iustitiam, si accipias a debitore rem diversam tibi debitam cum damno debitoris, quod longe majus sit damno tuo; Cum enim in tali casu debitor non debeat restituere, sed possit restitutionem differre juxta dicta art. 1., tu sine rationabili causa eris causa illius damni, atque adeo ad restitutionem teneris.

Demum ex charitate vitare debes, si commode fieri potest, ne debitor, aut ejus hæres ignorans compensationem a te factam, vel iterum tibi debitum solvat, vel permaneat in peccato existimando se teneri ad restituendum; unde fingere poteris, quod illi debitum remittas, aut alia via id vitare.

VII. Ex dictis sequitur primo ex Less. cap. 12. num. 61. contra Joannem Medinam, quod si feratur excommunicatio contra eos, qui aliquid furrpauerunt, talis excommunicatio non cadit in eum, qui aliquid in compensationem accepit, etiamsi alia via id recuperare potuerit; dummodo de-

Pars III.

bitum sit liquidum, & res surrepta sit debitoris; Quamvis enim non servando reliquas condiciones compensationis peccarit, at non contra iustitiam; Judex autem per interminationem excommunicationis solum vult cogere injustum detentorem; Et ideo nonnulli docent, quod si is interrogetur a Judice, an aliquid acceperit, possit cum juramento negare, quod acceperit, idest injuste, prout Judex intendit; Probabilius tamen est, quod docet Navar. cap. 17. num. 114. apud eundem Less.: quod si non recte accepit, eo quod via juris facile illud recuperare potuisset, quamvis iuste retineat, juridice tamen interrogatus tenetur verum fateri; quia Judex habet tunc jus interrogandi, sicut & de aliis delictis; unde non potest uti æquivocatione, & artificio prædicto.

VIII. Sequitur secundo ex eodem Less., famulos non posse sibi compensare ex bonis dominorum, dum conqueruntur de salario, quod putant esse parvum, & opposita sententia damnata est ab Innoc. XI. in thesi 17., quæ habet: *Famuli, & famule domestica possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*: Tunc solum possunt famuli sibi compensare, quando judicio prudentium aliquid iis debetur, non ex obligatione gratitudinis, sed iustitiæ; Quod dupliciter potest contingere, Primo, si parvo quidem sit conventum a famulo, ea tamen mente, ut dominus servitio diligenter præstito esset suppleturus, & hanc mentem famuli dominus satis adverterit; tunc enim dominus tenetur supplere, seu salarium augere ex iustitia; quia hoc tacite in pacto continetur. Secundo, si famulus pressus necessitate exiguo convenit, cum dominus amplius dare noluerit; tunc enim operam suam pluris valentem non sponte parvo locavit,

R sed

sed involuntarie secundum quid, seu necessitate compulsus; Sicuti qui parvo, seu infra pretium infimum iustum vendit rem aliquam magni pretii, pressus necessitate, pariter compensare potest sibi usque ad pretium infimum iustum: Quare dominus in casu nostro ex iustitia tenetur supplere stipendium ad aequalitatem. Hoc tamen intelligendum, si dominus tali servitio egebat, aut si magnum ex eo capit emolumentum; aliter si ad tuas, vel alterius preces sine suo magno commodo in famulum te admittit, merito potuit minus offerre, & dare, cum merces ultroneae vilescant. Sicut etiam potest minus offerre, quando ob multitudinem famulorum pretium famulatus decrevit.

Sequitur tertio, posse famulos retinere de victu sibi a domino praestito, quod sibi ex eo subtrahunt, alias comesturi; non tamen quod iis superest post saturitatem; Si tamen certa portio iis assignata sit, possunt de illa libere disponere, ut notant Sanch., Lug., Dian. part. 7. tract. 7. resol. 22.

IX. Sequitur quarto, posse Sacerdotem, qui pecunia credita decem missas celebravit, si non possit pecuniam hanc recuperare, oblati deinde decem carolenis pro aliis decem missis, pecuniam hanc retinere, & alias decem missas non celebrare, ut notat Peirinus apud Tambur. lib. 3. de Sacrif. Missae cap. 1. §. 3.; dummodo tamen vitet damnum tertii, videlicet aut animae purgantis, aut infirmi, &c.; Si enim missae pro istis petantur, & non pro ipso debitore, non videtur id licere, quicquid dicat Puente-Hurtad. in propol. 37. damnatam ab Innoc. XI.; Non enim est aequum, ut illi patiantur tam grave damnum ob delictum debitoris, quamvis ad eundem debitorem pertineat.

X. Sequitur ultimo ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 66., Laym., Less.,

& aliis contra Molin., Petrum Navar., & alios communius, probabiliter excusari filium cauponis, mercatoris, &c., si velit a patre salarium, quod alteri extraneo deberetur, adeo ut si ob metum reverentialem illud non exigat, possit clam a Patre accipere, demptis tamen expensis, quas in eo alendo pater insumit.

XI. Quaeritur secundo, An licita sit compensatio non solum in facultatibus, seu in bonis fortunae eo modo, quo diximus, sed etiam in delictis, seu in actionibus, quae ex delicto nascuntur: Verbi gratia, si Titius, & Cajus se mutuo infamarint, & Titius nolit, aut non possit famam refarcire, poteritne Cajus uti compensatione, ita ut nec ipse famam restituat?

Respondeo, Petrum Navar. negare; hinc enim sequeretur, quod sicuti qui potest compensare sibi pecuniam, potest non solum non restituere, sed etiam clam accipere pecuniam debitoris, ut sibi compenset; ita si Titius posset compensare sibi famam iniuste ablatam a Cajo, posset pariter non solum non restituere famam Cajo, sed etiam positive illum infamare, quod nemo dixerit.

Verum communius cum Bonac. hic docent, licitam esse huiusmodi compensationem, non quidem ante factum, quia esset vindicta, sed post factum, dummodo servetur aequalitas delictorum. Et ratio est, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur; Unde fit, quod quando uterque conjux commisit adulterium, neuter privetur jure petendi debitum, cum detur compensatio; Quin immo nonnulli Doctores volunt etiam in delictis diversi generis licitam esse compensationem; Verbi gratia, si maritus occidit adulterantem cum sua uxore, potest consonam compensationem facere cum injuria ab occi-

ciso sibi illata per adulterium, quamvis homicidium, & adulterium sint diversi generis.

Addit Less. cap. 1. dub. 25., probabile etiam esse, quod possit fieri compensatio infamiae cum damno fortunarum; Unde si Titius, qui te infamavit, nolit, aut non possit famam restituere, possis tu illi denegare pecuniam, quam debes in ea quantitate, quam prudentes existimabunt.

Communius tamen id negant apud Bonac. disp. 2. quaest. 4. punct. 19., quia pecunia, & fama sunt in diverso genere, & unum non potest aequivalere alteri; Justitia autem solum obligat, ut restituatur ablatum, vel aliquod aequivalens; cum ergo pecunia non possit aequivalere famae, quia ex Ecclesiast. *Melius est nomen bonum, quam divitiae multa*; ideo qui non potest famam restituere, non tenetur ex justitia illam pecunia compensare.

XII. Dubium est secundo, An possit fieri compensatio ob debitum probabile?

Respondeo, Doctores apud Dian. part. 7. tract. 10. resol. 16., & part. 9. tract. 9. resol. 46. negare; quia est veluti axioma in materia justitiae, quod A non liquido ad liquidum non datur compensatio; Jus autem probabile ad rem non est liquidum, ergo non potest fieri compensatio ad rem liquidam. Ita Sanch. lib. 6. cap. 3. Suar. de Legibus lib. 5. cap. 18. Pal., Laym., Dicastil., & alii communiter.

Verum Joannes Lugo Card. disp. 16. de Justitia sect. 5. distinguit, dicendo, quod quando opinio probabilis favens creditori versatur circa jus, possit probabiliter fieri compensatio, secus vero si versatur circa factum. Ratio est, quia si probabilitas versetur circa jus, Judex proferre posset sententiam pro creditore, non obstante possessione debitoris; Immo deberet talem sententiam proferre, si

opinio probabilior staret pro creditore; Nam regula illa, *In pari causa favendum est potius reo*, locum habet in causa dubia dubio negativo, vel saltem in dubio probabili circa factum, quia fundatur in alia regula, quod *Actore non probante reus absolvitur*. At si Actor fundet opinionem suam in probabiliori sensu legis, non dicitur non probare, nec dicitur esse par causa actoris, & rei; ergo si non potest creditor sine gravi incommodo ad judicem recurrere, poterit sententiam, quam judex proferret, amplecti, & sic compensare sibi debitum probabile probabilitate juris; quamvis id in praxi sit valde periculolum.

Hinc primo multi Doctores cum Less. cap. 12. disp. 25., Molin., Ledesm., Dian. part. 2. tract. 5. resol. 30. docent, quod liceat infamato compensationem facere negando pecunias, quas debet Petro, qui non potest, aut non vult refarcire famam, eo quod probabilis sit sententia docens infamiam compensandam esse pecunia, quando non potest in proprio genere restitui; Quamvis opposita sententia sit communior.

Secundo Sylvius, Malder., & alii docent, quod si duo se mutuo infamarunt, possint, quando damnum est aequale, compensare sibi, itaut neuter teneatur restituere, donec alter restituat; quod fundatur in opinione probabili, quod licita sit in infamia compensatio; Quamvis opposita sententia sit probabilissima.

Tertio, docent multi cum Less. cap. 19. dub. 3., Molin., Granad., & aliis, quod qui ex testamento minus solemniter habere debet legatum, possit illud sibi retinere, vel compensationem facere, eo quod probabilis sit sententia, quod jure naturae hujusmodi testamentum sit validum, atque adeo in foro conscientiae debeantur legata in eo facta; Quamvis contra-

R 2 ria

ria opinio sit satis communis, & probabilis.

Quarto, docet Less. ibidem, posse heredem ab intestato uti compensatione occulta contra eum, qui bona defuncti possidet ex testamento minus solemni; quia probabilis est sententia, quod ea bona debeantur heredi ab intestato, cui opinioni potest se conformare.

Neque obstat ratio adducta, videlicet iniquum videri, quod debitum incertum, & non liquidum cum liquido compensetur. Nam si quid probat hoc argumentum, probaret non solum contra compensationem, sed etiam contra solutionem. Probaret enim, quod qui habet creditum solum probabile, non possit petere, nec accipere solutionem a debitore; quia res certa solveretur pro debito incerto, & probabilis; Unde etiam sequeretur, quod neque in iudicio liceret agere, vel exigere, nisi cum evidenti iure; Quare iniquum dumtaxat est, debitum non liquidum, seu dubium cum liquido compensare, non vero probabile probabilitate juris potiori. Et ratio a priori est, quia sicuti solutio, ita compensatio licita est eo ipso, quod nititur ratione probabiliori; sicuti in aliis materiis, verbi gratia, in jejuniis, in recitatione horarum, &c., si probabile est te excusari, poteris certe omittere jejuniis, & recitationem horarum ob rationem probabilem, & sic incertam; quamvis ob merum dubium non excuseris; ad licitam enim operationem universim factis est probabilitas. Qua de re plura congerit P. Andreas Zuccherius in suis valde eruditissimis Decisionibus Patavinis de Restitutione Casu 2. Mensis Martii.

Hinc Franciscus Lugo apud Dian. loc. cit. ad qualicumque, An si Petrus possideat equum, quem tu probabiliter putas esse tuum, possis illum eo spo-

liare? docet, communiter id negari, quia quamvis proprietatem possidentis sit solum probabilis, possessio tamen est certa, & ideo præponderat tui probabili proprietati in contrarium; Deinde addit, Joannem Sanch. disp. 43. distinguere dicendo, quod si probabilitas sit orta circa factum, scilicet ex probationibus, & testimoniis, non possit ea re spoliare possidentem, nisi per auctoritatem iudicis; secus vero si probabilitas sit circa jus, verbi gratia, quia tibi debetur legatum ex testamento minus solemni, aut ex alio probabili titulo. Ratio est, quia possessio prævalet tantum contra dubium negativum, non vero contra probabilem opinionem circa jus; Immo Sanchius num. 56. addit, aliquos viros doctos a se consultos putare, probabile etiam esse, quod talis compensatio fieri possit, etiam si opinio probabilis, quod res sit tua, sit circa factum, seu orta ex probationibus, & testimoniis; quam sententiam ipse etiam Franciscus Lugo ut probabilem amplectitur, quia sive opinio probabilis sit circa factum, sive circa jus, possessio in utroque casu nititur proprietate, quæ solum est probabilis; unde non impedit usum contrariæ opinionis.

His tamen non obstantibus, dico cum communi Doctorum, in praxi ab hac opinione abstinendum esse, etiam cessante scandalo, sed juridice expectandam esse sententiam iudicis; Ratio est ex Cardinali Joanne De Lugo disp. 16. num. 106., quia scandalosum est, quod quilibet in re dubia sit iudex in propria causa: Hoc enim furtis immensum ostium aperiret. Quod confirmatur ex propositione illa decima septima ab Innoc. XI. damnata, ut scandalosa, quod famuli possint occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem iudicant salario, quod recipiunt;

Quæ

Qua opinio non fuisset damnata ut scandalosa, si vera esset opinio adducta Joannis Sancii, quod possis tu spoliare Petrum re, quam possidet ob solam probabilitatem, quod ea tibi debeat.

Adde, quod tenuis probabilitas non satis est ad licite operandum, ex propos. 3. damnata ab Innoc. XI. Atqui in opinione Joannis Sancii daretur solum tenuis probabilitas; ergo non subsistit. Probatur minor, quia probabilitas probabilitatis est tenuis probabilitas; in ea autem sententia daretur solum probabilitas probabilitatis; nam probabile est, quod possit fieri compensatio, quando probabile est, quod res, quam Petrus possidet, sit tua; ergo ex probabilitate, quod sit tua, oriretur probabilitas compensationis; Unde haberetur probabilitas probabilitatis, & sic tenuis probabilitas, quod non accidit in casu, quo quis non jejundet ex probabili opinione, quod non teneatur jejunare; Certum enim est in tali casu, quod non teneatur.

ARTICULUS IV.

De Compositione, & Iudicis auctoritate excusantibus a restituendo.

- I. *Liberat a restitutione debitorem compositio, qua fiat a Pontifice, vel ab Episcopo in propria Diocesi pro debitis dumtaxat incertis. Et probabiliter si deinde dominus compareat, nihil ei debetur.*
- II. *Quid requiratur, ut possit Pontifex pro debitis certis compensationem, aut dispensationem concedere? Sicut potest Pontifex in pœnam privare rem bonis temporalibus, ita potest deobligare debitorem a restitutione facienda alicui criminoso.*
- III. *Multipliciter potest Iudex eximere debitorem ab onere restituendi, præ-*

sertim in pœnam delicti a creditore parvati; Vel si ex equitate aliquid alicui adjudicet, quod ex rigore justitiæ illi non debetur.

I. **Q**uæritur primo, Utrum compositio a Prælato obtenta liberet a restitutione debitorem?

Respondeo, procul dubio excusare compositionem obtentam a Pontifice, si tamen dominus rei alienæ ignoretur; videtur enim Pontifex in tali casu habere causam disponendi de rebus alienis; cum enim debita incerta ex jure tantum positivo restitui debeant pauperibus, & Pontifex possit in jure tantum positivo dispensare, potest pariter super istis debitis compositionem permittere; itaut qui, verbi gratia, debet centum aureos creditoribus incertis, solvat tantum viginti pro fabrica Divi Petri, aut aliis pauperibus, & sic liber maneat totaliter a debito, ut diximus quæst. 3. art. 6.; Ubi ostendimus, quod si post compositionem compareat dominus, probabile sit rem illam non esse restituendam, cum compositio æquivaleret præscriptioni, & restitutioni: Ostendimus etiam, compositionem probabiliter posse etiam ab Episcopo fieri pro sua Diocesi.

II. Addimus nunc, quod si creditores sint certi, & cogniti, Pontifex non possit liberare a restitutione debitorem, nisi tamen gravis causa subsit; quia non potest Pontifex, aut Princeps absque justa causa donare bona unius alteri, cum non sit dominus bonorum subditorum, sed tantum defensor juris illorum, & iudex, vindexque criminum: Si tamen causa justa subsit, faciens ad spirituale regimen, potest dispensatio Pontificis a restitutione eximere debitorem, cum habeat Pontifex potestatem indirectam in bona temporalia subditorum; quatenus scilicet ad bonum illorum spiri-

tua-

tuale conducunt; Unde sicut potest pro criminibus multas pecuniarias imponere, ita potest condonare restitutiones criminosis faciendas, ut notat Less. cap. 16. num. 81. Si enim potest Pontifex in pœnam alicujus criminis, puta hæresis, privare reum dominio rerum suarum, & eas addicere fisco; Si potest aliquando eximere subditos ab obligatione serviendi, obediendi, solvendi tributa, & ab aliis vinculis etiam jurejurando confirmatis, quare non potest pariter debitorum eximere ab obligatione restituendi, cum hoc sit multo minus, quam illud?

III. Quæritur secundo, Quandonam Juris, aut Judicis auctoritas excuset debitorem a restitutione?

Respondeo cum Less. hic excusare, Primo, quando res debita legitimo modo est præscripta, ut dicemus art. sequenti. Secundo, quando judex in pœnam alicujus delicti per sententiam imponit hanc multam, ne scilicet restituatur creditori, quod ei debetur. Verum in tali casu sententia debet niti veritate, & non falsa præsumptione delicti. Tertio, quando aliquis privatus est officio, beneficio, vel hæreditate per sententiam juris ordine latam, tunc qui ea postea obtinet, non tenetur restituere, quamvis cognoscat condemnatum fuisse innocentem; dummodo non fuerit ipse causa talis injustæ condemnationis. Quarto demum, quando judex ex æquitate adjudicat alicui aliquid, quod alias in rigore justitiæ ei non deberetur, qui hoc percepit, non tenetur restituere.

ARTICULUS V.

De Præscriptione, quatenus a restituendo excusat.

I. Præscriptio legitima etiam pro foro interno a restituendo deobligat; con-

ceditur tamen locis piis, & minoribus restitutio in integrum.

II. Lex præscriptionis non est instituta in pœnam negligentia creditoris, sed ad lites innumeras vitandas; Nec nititur in falsa præsumptione culpa illius.

III. Quinque sunt Præscriptionis conditiones, Possessio continuata, Capacitas possidendi, Bona fides, Titulus probabiliter præsumptus, & Lapsus temporis a lege definiti.

IV. Ad præscriptionem requiritur, & sufficit possessio civilis rei, quamvis sit sine naturali possessione.

V. Præscribere non potest Laicus res Ecclesiasticas. Nec religiosus aliquid præscribere potest. Quid de pupillo?

VI. Homo liber præscribi nequit. Nec res furtiva; At si bona fide hæc ematur, vel accipiatur, post annos triginta præscribi potest. Neque præscribi possunt res, quæ alienari non possunt, ut res Ecclesiastica, nisi spatio triginta annorum.

VII. Si bona fide per annos triginta possideatur jus non solvendi debitum, præscribitur. Non præscribit tamen, qui dubia fide cepit possidere, aut qui bonam fidem interrupit per malam fidem: Dubium tamen superveniens bonam fidem non interrupt.

VIII. Num possint hæres, & legatarius præscribere, si bona fide habeant res, quas testatur, qui mala fide eas possidebat?

IX. Num possit prodesse ad præscribendum bona fides orta ex ignorantia juris clari, saltem post spatium triginta annorum?

X. Ignorantia juris, quæ non prodest ad præscribendam rem inalienabilem, prodest ad præscribendos fructus talis rei, relate ad quos ignorantia est potius facti.

XI. Titulus probabiliter præsumptus non eodem modo requiritur ad præscriben-

endum, quam bona fides; sine illo quippe præscribitur spatio triginta annorum, vel quadraginta contra Ecclesiam, aut centum contra Ecclesiam Romanam: Et si ius commune repugnet ad præscribendum, adhuc sufficit tempus immemorabile, in quo titulus præsumitur: Nunquam tamen sine bona fide legitime præscribitur.

XII. Usucapio præter titulum, & bonam fidem, requirit triennium inter præsentés, & quadriennium inter absentes; Sine titulo autem requirit spatium triginta annorum. Præscriptio vero exigit decem annos inter præsentés, viginti inter absentes, & sine titulo triginta. At contra Ecclesiam quadraginta, & contra Ecclesiam Romanam centum.

XIII. Ut consuetudo contra legem præscribat, satis est, vel quod passim fiat contra legem consuetudo Superiore, vel quod infcio Superiore contra legem fiat per decennium.

I. Quæritur primo, Quandonam Præscriptio a restitutione debet obliget?

Respondeo, Præscriptionem, & usucapionem, ut diximus quæst. 2. art. 1., non solum in foro externo, sed etiam in interno excusare a restitutione, si adsint debita requisita. Ratio est, quia nemo tenetur rem suam restituere; atqui possidens rem alienam bona fide per continuationem temporis a lege constituti, facit rem suam, ut constat ex definitione Præscriptionis, quæ est *Acquisitio domini utilis, vel directi rei alienæ per continuationem possessionis spatio temporis a lege constituti*, ex lege *Usucapio*, ff. *De usucapionibus*; ergo non tenetur ad restitutionem: Quamvis verum sit, quod locis piis, Ecclesiis, & minoribus concedatur restitutio in integrum auctoritate iudicis: Sicut etiam maioribus

etate in præscriptione decem, & viginti annorum conceditur spatium quatuor annorum ad repetendam rem suam, dummodo probent, præscriptionem fuisse factam ipsis infcis, & absque sua negligentia, ex lege 1. *De præscriptionibus* apud Less. lib. 2. cap. 6. dub. 18.

II. Opponitur primo ex Gabriel, Medin., Adrian. apud Less. dub. 17., Lex præscriptionis videtur instituta in pœnam negligentiae domini; ergo si nulla domini intercessit negligentia, nec culpa in inquirenda re sua, non debet dominus per præscriptionem ea privari; & consequenter præscriptio, licet excuset debitorem a restitutione in foro fori, non tamen in foro poli.

Respondeo, nego antecedens; lex enim præscriptionis instituta est ob bonum commune ad lites innumeras vitandas: Quare etiam sine culpa, & negligentia domini potest res præscribi, itaut non teneatur possidens unquam illam restituere.

Opponitur secundo; Is, cui res adjudicatur in pœnam per sententiam Iudicis nitentem falsa præsumptione delicti, tenetur ad restitutionem, ut modo diximus art. 4. Atqui leges præscriptionis nituntur falsa præsumptione culpæ, & negligentiae domini in inquirenda re sua; ergo is, cui res per legem præscriptionis adjudicatur, tenetur semper in foro conscientiae ad restitutionem.

Respondeo, concessa maiore, nego minorem; diximus enim legem præscriptionis non nisi in præsumptione negligentiae domini, sed ordinari ad bonum commune. Veram concessa etiam minore, nego consequentiam; Disparitas est, quia Iudex per illam sententiam non intendit transferre dominium, sed solum declarare quifiam sit dominus rei; Unde si talium sit fundamentum, in quo nititur sententia Iudicis, ipsa quoque corrumpitur, nec

est

est servanda in conscientia: Contra vero per praescriptionem vult Princeps transferre alteri dominium, ut diximus.

III. Quæritur secundo, Quanam sint conditiones legitima praescriptionis?

Respondeo esse quinque. Prima est continuata possessio; Secunda, Capacitas activa respectu possidentis, & passiva respectu rei, quæ possidetur, videlicet quod possidens possit possidere, & res possit possideri; Tertia, bona fides; Quarta, titulus probabiliter praesumptus; Quinta, tempus a lege definitum.

IV. Circa primam conditionem, dubium est, quanam possessio requiratur ad praescriptionem, civilisne, an naturalis?

Respondeo cum communi requiri, & sufficere possessionem civilem, quæ scilicet quis nomine suo rem aliquam possidet, quamvis careat possessione naturali, seu quamvis rem illam apud se non habeat. Unde fit, quod habens rem aliquam apud se depositam, aut commodatam non possit illam praescribere; quia quamvis illam possideat naturaliter, non possidet tamen civiliter, seu non possidet nomine suo, sed nomine ejus, qui eam deposuit, aut commodavit: sic Tutor, qui rem possidet nomine pupilli, Colonus, qui rem possidet nomine domini: Et eodem modo si rem indivisam communem pluribus aliquis apud se habeat, non potest illam praescribere, quia possidet saltem partialiter nomine alieno.

V. Ex secunda vero conditione sequitur primo, Laicum non posse praescribere res Ecclesiasticas, & jura spiritualia, verbi gratia jus cognoscendi causas Ecclesiasticorum, jus decimarum, primitiarum, oblationum, jus patronatus relate ad Ecclesiam olim non subditam tali juri, & alia jura spiritualia, ex cap. *Causam, de Pra-*

scriptionibus; Laicus enim caret capacitate activa, qua possit eas res, & jura possidere. Pariter Religiosus non potest aliquid praescribere, cum sit incapax domini, nec possit quicquam suo nomine possidere: Contra Pupillus potest praescribere, quia potest aliquid possidere nomine suo, si mentis compos sit; Sicuti etiam si mentis fit impos, dummodo incipiat possidere auctoritate Tutoris; Furiosus etiam praescribere potest, si ante furoræ cepit possidere, cum habeat capacitatem activam, & per furoræ possessio non interruptatur.

VI. Sequitur secundo, quod homo liber praescribi non possit, ita ut fiat servus, quia deficit in eo capacitas passiva: Propter eandem rationem non potest res furtiva praescribi tempore consueto, quamvis si bona fide ematur, vel accipiatur, possit spatio triginta annorum praescribi, ut notat Azor. apud Bonac. hic.

Sequitur tertio, nec posse praescribi, nisi spatio triginta annorum res, quæ prohibentur alienari, quia pariter deficit iis passiva capacitas, ut ab illis possideatur; unde res mobiles praetiosæ alicujus Ecclesiæ, quæ servando servari possunt, usucapi triennio non possunt.

VII. Tertia conditio est bona fides, seu credulitas, qua quis prudenter judicat rem esse suam, vel saltem ignorat esse alienam, dummodo ignorantia non sit crassa. Ex quo sequitur primo, debitorem, qui triginta annis debitum non solvit mala fide, non posse illud praescribere; si tamen bona fide triginta annis possederit jus non solvendi, eo quod crediderit se nihil debere, vel debitum esse aut solutum, aut condonatum, vel si nihil de tali debito recordatus sit, in tali casu illud praescribit, ex lege *Sicut in rem, Cod. De praescriptione* apud Bonac. & Less. num. 19., & 36.

Se.

Sequitur secundo, non posse præscribere eum, qui in principio possessionis dubitat, an res sit sua. Ratio est, quia hic occupando cum tali dubio rem, æquiparatur possessori malæ fidei, ut diximus suo loco; Nec potest præscribere, qui non habet bonam fidem continuatam, sed interruptam per malam fidem: Qui tamen post possessionem rei bona fide, dubitat an res sit aliena, & post debitam diligentiam non potest dubium deponere, bonam fidem non interruptit.

VIII. Dubium est hic primo; An hæres, vel legatarius, si bona fide hæreditatem, vel legatum accipiat, possit præscribere res, quas mala fide testator possidebat?

Respondeo cum Molin., Bonac., & aliis, hæredem immediatum, seu qui succedit in omnia bona defuncti, non posse præscribere, quia talis hæres censetur una persona cum defuncto; unde sicut defunctus ob malam fidem præscribere non poterat, ita nec hæres, quamvis bona fide hæreditatem accipiat, ex lege *Simalasides*, Cod. *Communia*: Contra vero legatarius præscribere potest, quippe qui bona fide rem non furtivam accipit titulo donationis, venditionis, &c. Potest etiam præscribere hæres mediatas, seu hæres hæredis; quia non censetur moraliter una persona cum defuncto, qui mala fide rem possidebat. Verum Sylvest., Azor. lib. 2. cap. 6., & alii putant, quod sicut legatarius in casu posito præscribere potest, non quidem spatio consueto, sed spatio triginta, vel quadraginta annorum, ut diximus in tertia conditione, ita pariter hæres immediatus, cum uterque bona fide rem possideat. Ubi notandum, quod si testator, & hæres, vel legatarius possideant rem bona fide, tempus utriusque possessionis computandum sit ad præscriptionem.

Pars III.

IX. Dubium est secundo, Quam ignorantia prodesse possit ad præscribendam rem bona fide possessam?

Respondeo, Medin. apud Less. cap. 6. dub. 5., putare, quamlibet ignorantiam inculpatam tam juris, quam facti sufficere ad præscribendum in foro conscientie. Verum communiter Doctores cum eodem Less. docent, ad præscriptionem prodesse solam ignorantiam facti, & ignorantiam juris dubii, quando scilicet sunt opiniones utrinque probabiles circa jus, non vero ignorantiam juris clari. Ratio est, quia sic sancitum est in lege *Juris*, ff. *de Juris, & facti ignorantia*; Unde fit, quod si quis sciat, verbi gratia, non posse aliquid emi a fure, ignoret tamen Titium esse furem, & ab eo aliquid emat, præscribere possit, quia hæc est ignorantia facti; Et idem dicas in ignorantia juris dubii, verbi gratia si dubium sit, an prohibeatur aliquis contractus tanquam usurarius, eo quod sint utrinque opiniones probabiles. Ratio est, quia sequens opinionem probabilem non dicitur habere malam fidem; quando tamen jus est clarum, non potest prodesse præscriptioni ignorantia illius; unde non potest præscribere, qui aliquid accipit contractu usurario ignorans talem contractum esse injustum; Nec potest præscribere, qui aliquid dono accepit a religioso ignorans religiosum non posse largiri; Error enim nunquam prodest in usucapionibus, ut dicitur in lege *Nunquam*, ff. *De usucapionibus*.

Probabile tamen est ex eodem Less., quod ignorantia juris clari, si sit invincibilis, possit prodesse ad præscribendum, non quidem spatio consueto, sed post spatium triginta annorum, non secus ac possessio sine titulo. Ratio est, quia intantum error juris impedit præscriptionem, quia qui sic errat, præsumitur habere malam fidem;

S atqui

atqui jure civili præscriptio tricenaria locum habet etiam in eo, qui præsumitur habere malam fidem, dummodo revera non habeat, sicut etiam in possidente sine titulo; ergo etiam in casu nostro.

X. Notandum tamen, quod quamvis ignorantia juris non prodest ad præscribendam rem, prodest tamen ad præscribendos rei fructus, ex lege *Bona fidei emptor*, ff. *De acquirendo rerum dominio*. Ratio est, quia ignorantia circa fructus videtur potius ignorantia facti, cum possessor putet percipere fructus ex re sua, quæ tamen non est sua.

Ex dictis sequitur, ut notat Lesf. cap. 6. num. 18., quod si quid emas a pupillo, vel prælato, &c., ignorans requiri consensum tutoris, aut Capituli, &c., talis ignorantia non prodest ad præscribendum, cum sit ignorantia juris: Contra vero si putes consensisse tutorem, aut capitulum, &c., quia hæc est ignorantia facti.

XI. Quarta præscriptionis conditio est Titulus probabiliter præsumptus; Etenim titulus est causa, & radix, ex qua oritur dominium, & jus; quare quando acquirimus rei dominium ex emptione, donatione, testamento, &c., ex his titulis dicitur dominium acquiri; Quod si isti tituli sint veri, verbi gratia, si vera est donatio, non requiritur præscriptio ad acquirendum dominium; secus vero si titulus non sit verus, sed probabiliter præsumptus, videlicet quia creditur bona fide, quod donans sit legitimus dominus, cum revera non sit. Ratio est, quia ad vitandas lites jura statuerunt, quod cum titulo præsumpto acquiratur dominium rei alienæ, modo ad sit bona fides, & tempus a jure præscriptum.

Notandum tamen, ad præscriptionem magis requiri bonam fidem, quam titulum præsumptum; nam sine bona

fide nunquam res præscribitur: Contra vero sine titulo præsumpto; quamvis sine hoc titulo non præscribatur res tempore definito, videlicet decem annorum inter presentes, & viginti inter absentes, at præscribitur post lapsum triginta, vel quadraginta annorum juxta qualitatem materiæ, quæ præscribitur, ex cap. *Si diligenti*, *De præscriptione*. Hinc fit, quod privatus, qui per quadraginta annos præscripsit contra aliquam Ecclesiam, non debeat allegare titulum; Et idem dicas de spatio centum annorum contra Ecclesiam Romanam. Hoc tamen intelligendum, dummodo jus commune non repugnet præscribenti; nam in tali casu vel probandus est titulus, vel ostendendum est tempus, quo res possidetur, esse immemorabile, seu cujus initii non extat memoria etiam apud seniores; nam ut bene Covar. cum tempore immemorabili præsumitur titulus. Unde fit, quod si Laici tempore immemorabili non solverint decimas Ecclesiæ, liberi sint, & immunes ab onere decimarum.

XII. Circa quintam conditionem, quæ est tempus a lege definitum ad præscribendum, sciendum, ad præscriptionem rerum mobilium (quæ proprie dicitur Usucapio) requiri præter titulum, & bonam fidem inter presentes, seu inter eos, qui in eadem Civitate, vel in eadem parte Regni habitant, triennium, quadriennium vero inter absentes, seu inter eos, qui in diversis territoriis commorantur: Ad præscriptionem vero rerum immobilium contra privatos requiritur spatium decem annorum inter presentes, & viginti inter absentes; Dixi, contra privatos; Nam contra Ecclesiam aliquam, sive locum pium requiritur spatium quadraginta annorum, & contra Ecclesiam Romanam centum anni.

Si tamen desit titulus præsumptus ad præscribendas res mobiles, etiam si sint

sint Ecclesiæ, etiam Romanæ, requiritur, & satis est spatium triginta annorum, quod spatium satis est etiam ad præscribendas res immobiles contra privatos; Contra Ecclesiam vero requiritur, ut diximus, spatium quadraginta annorum, & centum contra Ecclesiam Romanam. Præscriptio autem, ut notat Croix lib. 3. part. 2. n. 545. tunc dicitur interrumpi, quando ita cessat, ut totum tempus præcedens extinguatur, perinde ac non præcessisset, dicitur vero dormire, quando ob aliquod impedimentum cessat, eoque sublato tempus præcedens continuatur cum subsequente. Si desinat titulus, interrumpitur, si desinat bona fides, probabiliter præscriptio dormit, sed probabiliter ex Lugo, & Mol. interrumpitur. Præscriptio contra Ecclesiam dormit, quamdiu hæc vacat suo Prælato.

XIII. Dubium hic est; Quantum temporis requiratur, ut consuetudo præscribat contra legem?

Respondeo cum Lefs. cap. 6. dub. 14. quod vel consuetudo contra legem viget sciente, & tolerante legislatore, & tunc non requiritur certum tempus, ut consuetudo legem abroget, sed satis est, quod passim fiat contra legem, quia dum legislator, seu superior scit legem non servari, & tolerat, videtur consentire, ut non fervetur, ne Respublica perturbetur: Si tamen consuetudo viget ignorante Principe, tunc, ut præscribat contra talem legem, sive civilem, sive canonicam, probabile est, quod satis sint decem anni, quia lapsu decennii videtur legis vis esse antiquata.

ARTICULUS VI.

Num interitus rei alienæ, aut ingressus in Religionem a restituendo excuset?

- I. *Interitus rei alienæ in specie restituenda a restituendo excusat, si pereat citra culpam debitoris, nec aliter sit conventum.*
- II. *Probabiliter videtur posse secundum se ære alieno gravatum ingredi Religionem, & sic a restituendo deobligari, si alia via non possit. Sic sponsus post sponsalia jurata potest ingredi Religionem.*
- III. *Num teneatur hic Religiosus laborare juxta suum statum de licentia Superioris, ut debitis satisfaciat?*
- IV. *Num pariter teneatur acceptare donationes, aut hereditatem, qua datur Creditoribus?*
- V. *Religiosus, qui post professionem alios damnificavit, præsertim si sit Prælati, ad quid tenetur, ut damnum resarciatur?*

I. **Q**uæritur primo, An rei restituendæ interitus excuset a restitutione faciendâ?

Respondeo, multa super hac re nos dixisse, cum de possessore bonæ, & malæ fidei, videlicet quod si res aliena in specie restituenda intereat, talis interitus a restitutione excusat, quando non intercessit culpa debitoris, nec mora, nec pactum; Secus vero si aliquid horum intercesserit, nisi forte similiter ea res fuisset apud dominum peritura, quia in tali casu nullum damnum pretio æstimabile illatum esset domino; sicuti non infert damnum domino, qui ejus equum occidit, aut dolia expilat, quando jam jam incendio sunt conflagranda.

II. Quæritur secundo: An gravatus

S 2 ære

are alieno possit licite Religionem ingredi, & sic, si non habet, unde reddat, excusari a restitutione?

Respondeo, Valent., Molin., Regin., Bonac. hic, Layn. cap. 12., & alios putare, quod debitor non possit ingredi Religionem, quando praevidet fore ut ingrediendo non possit Creditoribus satisfacere, quibus tamen satisfaceret, si maneret in saeculo, siue debita sint ex contractu, siue ex delicto; Et ratio est, tum quia obligatio iustitiae praeferenda est consilio; ingressus autem in Religionem est ex consilio, & restitutio debetur ex obligatione iustitiae: Tum etiam quia qui violavit virginem sub spe conjugii, a Religionis ingressu retardatur, nisi illa sponte remittat: Tum demum quia si non licet furari, ut possit quis in Religionem distantem ingredi, nec licitum est alienum retinere ingrediendo Religionem. Verum D. Th. 2. 2. quaest. ult. art. 6., quem sequitur Tambur. tract. 4. cap. 1. §. 1. num. 7., & alii apud Sanch. lib. 4. disp. 4. cap. 59. putat, hunc non teneri manere in saeculo, quia iste talis putatur cedere bonis, quod cuilibet facere licitum est; Neque obligatio restituendi, quamvis juramento firmata, est tanti, ut possit privare fidelem tam ingenti bono ordinis superioris, qualis est vitam domino mancipare. Less. cap. 7. dub. 8. putat, quod si possit hic consuetis laboribus brevi creditoribus satisfacere, teneatur differre ingressum Religionis; Ad hoc tamen non obligat D. Th., & alii, quos laudavimus.

Notandum tamen, Sixtum V. vetasse, ne quis ingenti are gravatus, vel reddendis rationibus obligatus, ad professionem admitteretur; voluitque istius professionem esse nullam, graveque poenas recipientibus injunxit; Quamvis deinde Clem. VIII. voluerit professionem esse validam, ut videre

est apud Lug. tom. 1. de iustitia disp. 21. quaest. 6. num. 86. Advertendum etiam, quod Sixtus V. prohibeat, ne ad professionem admittatur, qui ingenti are alieno est gravatus, non qui quocumque est are alieno gravatus.

Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam, quod quamvis status Religiosus sit ex consilio, est tamen talis, ut ob perpetuam mancipationem, quam affert hominis Deo, spoliat illum bonis omnibus, atque incapacem dominii reddat, & ideo extinguat omnem obligationem iustitiae circa bona fortunae; sicuti ob eandem perfectionem extinguit omnem obligationem cujuscumque voti facti in saeculo. Praeterea status religiosus est maximum, & summum, quod potest homo Deo tradere, & ideo videtur irrationabile, ut tantum bonum a quocumque debito retardetur: Quare licet non possis, ut orationi vaces, & jejunes, omittere obligationes ex iustitia, poteris tamen eas omittere ut Religionem ingrediaris, ex praestantia, & perpetuitate talis status. Itaque ad argumentum respondetur, praeferi obligationi ex iustitia id, quod est merum consilium, quando hoc extinguit omnem obligationem iustitiae, & quando irrationabiliter debito pecuniario postponitur.

Ad secundam rationem, verum est, quod qui violavit virginem sub spe conjugii, non possit illa invita Religionem ingredi; Ratio tamen est, quia in hoc casu non concurrunt debitum pecuniarium cum statu religioso, sed debitum assumptionis status matrimonialis cum assumptione status religiosi; concurrentibus autem his duobus statibus, debet prevalere is, qui ex iustitia debetur alteri: Quando autem concurrat debitum pecuniarium restituendi cum susceptione status religionis, bonum adeo excellens debet prevalere.

Ad-

Adde, quod sponsus etiam post sponsalia jurata potest Religionem ingredi; cum ea promissio habeat tacitam illam conditionem, nisi Religionem ingredi voluero; ergo etiam in casu nostro.

Ad tertiam, supra diximus magis requiri ad furandum, quam ad non restituendum; sicut magis ad vulnerandum, quam ad non medendum vulneri alterius; unde quamvis non liceat furari, quando opus est pecunia ad assumendum statum religiosum, licitum tamen est non restituere, quando aliter fieri non potest.

III. Dubium est primo, An qui sic ingreditur Religionem, teneatur laborare, ut aliquid acquirat ad satisfaciendum Creditoribus, vel scribendo, vel concionando, vel aliud agendo ex licentia Superioris, quod statum religiosum deceat?

Respondeo, Molin., Navar., Bonac. hic docere, quod teneatur, quia obligatio illa satisfaciendi est ex jure naturæ, nec extinguitur per professionem Religiosam; immo docent, quod Superior teneatur ad id licentiam dare, si erat conscius debitorum, antequam illum ad Religionemmitteret. Pal. tamen apud Tambur. hic aperte docet, nec Religiosum ad id teneri amplius, nec teneri Superiorem aut concedere illi facultatem, ut laboret ad satisfaciendum, aut ex pecunia, quam ille suo labore monasterio acquisivit, satisfacere Creditoribus: Etenim per Professionem Religiosus factus est jam juris alterius, & incapax dominii acquirendi; cum ergo non possit amplius habere dominium, sequitur, quod debita sint omnino extincta.

IV. Ex quo etiam videtur sequi, quod non teneatur hæreditatem, donationes, aut legata acceptare ad satisfaciendum; quicquid enim acquirit Monachus, monasterio acquirit; cum

autem Monasterium non teneatur satisfacere debitis Religiosi ante ingressum contractis, nec tenetur Religiosus acceptare donationes ad satisfaciendum; & si acceptat, non tenetur monasterium ex iis rebus satisfacere Creditoribus. Hæc tamen disputationis gratia docuit Pal. tom. 3. tract. 16. dub. 3. Communis enim opinio docet oppositum, videlicet quod teneatur tales donationes acceptare, & ex iis tam ipse, quam monasterium teneantur satisfacere creditoribus: Sicut etiam communis opinio docet, quod talis Religiosus teneatur laborare ad satisfaciendum, quamvis nonnulli velint posse Prælatus dare suo subdito alias occupationes ad arbitrium, ut videre est apud Lug. tom. 1. disp. 21. §. 6. num. 79.

V. Dubium est secundo, Ad quid teneatur Religiosus, qui alios damnificavit post professionem, verbi gratia furando, vendendo supra pretium justum, occidendo, &c.?

Respondeo cum communi apud Tambur. tract. 4. cap. 1., quod si res aliena extet, aut in aliquo ipse, aut religio facti sint ditiores, procul dubio ad restitutionem tenentur; in contrario eventu tenetur religiosus restituere, si fruitur peculio, vel si potest ex iis, quæ sibi a Religione conceduntur, detrahere de non necessariis commoditatibus, ut notat Sanch. l. 7. in Decalog. cap. 19. num. 112. Quamvis possit Superior impedire, ne Religiosus hujusmodi debita sic solvat, quia fructus peculii, & quodcumque sibi subtrahit Religiosus a suis commoditatibus, subditur dominio Religionis; & ideo potest Prælatus nolle ea a se abdicare, & sic juste impedire, ne debita solvantur; Si vero non possit sic satisfacere Religiosus, certe Religio non tenetur, quia non debet vergere in damnum monasterii delictum Religiosi etiam Prælati, si non est

est commissum nomine totius Com- lariter .
munitatis , & ut dicitur Capitu-

Q U Æ S T I O VII.

De Restitutione in particulari.

PLuribus articulis quæstionem hanc absolvemus, inquirendo ea omnia, quæ in præmio hujus tractatus innuimus, videlicet Primo, De restitutione facienda propter homicidium. Secundo, propter detractionem. Tertio, propter contumeliam, derisionem, suffurationem, ob judicium temerarium, & ob suspicionem. Quarto, propter secreti violationem. Quinto, propter furtum, & rapinam. Sexto, propter stuprum, & adulterium. Septimo, propter fraudata vectigalia. Octavo, propter simoniam, & usuram. Nono, propter omissionem divini officii: de quibus omnibus, prout vacabit, paucis agendum est.

ARTICULUS I.

De restitutione propter homicidium,
& mutilationem.

- I. Provocatus ad pugnam, si alium occidat, non tenetur quicquam restituere, quamvis nonnihil excesserit. Qui tamen invaditur ab altero, ad restitutionem obligabitur, si notabiliter excedat occidendo invasorem.
- II. Num peccet contra justitiam Clericus, qui potest fugere invasorem, sed non fugit, sed illum occidit cum moderamine debito?
- III. Qui artificem occidit, tenetur etiam lucrum illi cessans ex sua artis exercitio restituere; Sed debetne estimationem laboris detrahere? Debetne quicquam restituere Creditoribus occisi?
- IV. Num pro vita, pro mutilatione, pro cicatrice, pro fama injuste sublata aliquid restituendum sit? Et quid pro vita servi, aut animalis alterius? Quid pro homicidio, quod fecit filius?

V. Qui collocat cadaver occisi ante domum Titii, providens, aut etiam intendens, ut Titius tanquam homicida puniatur, num teneatur ad restitutionem?

VI. Tam ex homicidio casuali, quam ex indirecto, non secus ac ex voluntario oritur obligatio restitutionis, supposita in iis gravi culpa contra justitiam.

VII. Num sit reus homicidii vulnerans graviter Petrum, qui deinde ex Medicorum culpa decedat? Aut qui volens occidere Titium, casu occidat Cajum? Aut qui alium occidit in ebrietate?

VIII. Propter damnum illatum occiso in curatione vulnerum, & ob lucrum, quod illi ante mortem cessavit, facienda est restitutio heredi, & hoc deficiente, pauperibus; Propter damnum vero, quod aliis ex homicidio confurgit, facienda est restitutio solum heredibus necessariis, non aliis.

IX. In quibusnam casibus licitum est homini se ipsum occidere, aut mutilare? Num licite pueri castrantur ad vocem conservandam?